INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXV

A DIE XVI. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXV

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

INEST

HENRICI KEILII

DE PETRI DE CRESCENTIIS RURALIUM COMMODORUM LIBRIS COMMENTATIO.

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

Digitized by
UNIVERSITY OF ILLINOIS AT
URBANA-CHAMPAIGN

Original from
UNIVERSITY OF ILLINOIS AT
URBANA-CHAMPAIGN

Digitized by
UNIVERSITY OF ILLINOIS AT
URBANA-CHAMPAIGN

Original from
UNIVERSITY OF ILLINOIS AT
URBANA-CHAMPAIGN

875
C863 n Yk

Classics

4011

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

THEODORVS ACKERMANN

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

In numero eorum qui primi apud Italos veterum scriptorum libros legerunt eaque quae ab illis scripta invenerant in suum usum converterunt fuit Petrus de Crescentiis vel Crescentius, quem vulgo Itali dixerunt, civis Bononiensis, qui circa annum millesimum trecentesimum ruralium commodorum libros duodecim scripsit. In quo opere cum non solum de omnibus partibus agri culturae, sed etiam de natura plantarum et animalium copiose disputaret, in primis veterum scriptorum de his rebus praeceptis usus est multaque ex eorum libris descripta in suum opus transtulit. Non fugit hoc eos qui latinorum scriptorum de re rustica libros ediderunt vel in iis emendandis operam collocaverunt. Et cum in Catonis maxime et Varronis libris, quorum codices quos nunc habemus fere omnes quinto decimo saeculo scripti sunt, excerptis Crescentii propter ipsam antiquitatem magnam auctoritatem ad corruptam codicum scripturam emendandam tribuerent, haec una cum librorum manu scriptorum lectionibus ponere consueverunt. Nunc ratione codicum, quibus Catonis et Varronis libri memoriae proditi sunt, rectius, quam olim fieri poterat, cognita et fide veteris scripturae constituta facile apparere puto omnem illam auctoritatem, quae olim ab editoribus Crescentio tributa erat, aut nullam aut admodum exiguam esse. Sed quo certius ea de re iudicari possit, non inutile esse visum est hac scribendi occasione oblata de ipso Crescentio et de libro eius et de iis quae ex veteribus de re rustica scriptoribus recepit pauca disserere.

De vita autem Crescentii et de opere eius copiose disseruit Ioannes Fantuzzi, notizie degli scrittori Bolognesi v. III p. 224, qui in ea re studiis Gaetani Monti Bononiensis, qui tum novam editionem libri in italicum sermonem olim translati parabat, se adiutum esse scribit. Ipsam editionem Bononiae a. 1784 factam non vidi. Brevius de eodem disputaverunt Fabricius biblioth. med. et inf. lat. v. V p. 237, Tiraboschi, storia della letteratura italiana v. V p. 208, Orelli, Beiträge z. Geschichte der italien. Poesie v. I p. 35. Natus igitur est Petrus de Crescentiis auctore Bumaldo biblioth. Bonon. p. 35, quem reliqui secuti sunt, Bononiae a. 1230 nobili loco patre Zambonino de Crescentiis. Vario autem litterarum genere, philosophia, medicina, scientia rerum naturalium, iuris prudentia, eruditus patria urbe, quae tum studiis et certaminibus partium distrahebatur, relicta per triginta annos in

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
P 30584
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

finitimarum regionum oppidis peregrinatus est et rectoribus civitatum operam suam praestitit, cum et iudicis munere fungeretur et administrationem rerum civilium adiuvaret. Praeter publica negotia in scientia rerum rusticarum operam collocavit, cum et libros ea de re scriptos diligenter legeret et praecepta scriptorum excerperet atque componeret et labores rusticorum in diversis regionibus observaret. Septuagesimum fere annum agens domum rediit et omissis publicis negotiis, quibus olim occupatus erat, in agrum haud procul a Bononia situm se recepit, ubi opus olim inchoatum ad finem perduxit. Absolvit autem opus et duodecim libris distributum edidit inter annum 1304 et 1309. Adiidit enim duas epistulas, alteram ad Karolum secundum regem Siciliae, quem anno 1309 mortuum esse scimus, datam, alteram ad Aimericum Placentinum, summum ordinis Praedicatorum praefectum, quam dignitatem ille anno 1304, sicut indicant Quetif et Echard script. ord. Praedic. v. I p. 494, adeptus est. Non multo post Crescentius videtur mortuus esse. Fantuzzius quidem ultra annum 1316 eum vitam produxisse allatis publicis actis Bononiensium probare studuit. Sed ut intellegatur, quid ipse de suis studiis praedicet et quo modo ea quae universo opere tractavit descripserit, duas epistulas quas dixi cum praefatione post illas in principio primi libri scripta in hunc locum transcribendas curavi. In quo duobus usus sum libris manu scriptis, quos mihi bibliotheca universitatis Lipsiensis praebuit, altero (*A*), qui est numero 1460, anno 1411 scripto (subscripta enim sunt haec, *explicit liber rusticalium commodorum sub anno domini millesimo quadringentesimo undecimo*, altero 1459 eiusdem fere aetatis (*B*), et editione principe a. 1471 facta (*C*), quae item ex Lipsiensi bibliotheca ad me missa erat. Exhibui autem in priore epistula et in praefatione lectionem codicis *A*, quem in his accuratius, quam reliquos duos libros, scriptum esse inveni, eamque, ubi opus erat, ex altero codice et ex edito exemplari correxi; in epistula ad Karolum regem, quae in illo omissa est, dedi lectionem principis editionis et codicis *B*.

Venerabili in Christo patri et domino spirituali, viro summe religionis ac sapiencie, fratri Aymerico de Placencia, sanctissimi ordinis fratrum predicatorum generali magistro dignissimo, suus (dominus *C*) Petrus de Crescenciis civis Bononiensis se ipsum ad omnia semper mandata obsequiosa paratum. Cum presentem librum ruralium commodorum ad dei omnipotentis honorem et serenissimi regis Karoli delectacionem meique ac ceterorum utilitatem inchoassem ac mediassem (metediassem *A*), multis ac variis occupacionibus impeditus diu perficere distuli. Verum a vestra nobili sanctitate ut complerem rogatus, quod pro dominico libenter recepi mandato, iudiciorum et civilium occupacionum strepitu relicto, quibus non poteram animum, ut operi expediebat, quietum habere, ad ruris habitacionem septuagenarius me transtuli et ne ociis inutilibus aliquo tempore impediar atque inficiar iustisque satisfaciam votis, celestis regis auxilio librum perficere curavi ac eciam ei quem primo scripseram addidi multa utilia, que postea vidi et per (per *om. A*) experienciam approbavi. Vestre igitur dominacioni eundem grandi affectu offero corrigendum per vestram prudenciam, que summa est, et vestrorum fratrum, humiliter supplicans ut ipsius elimetur rubigo et quod est utile non spernatur. Nam aperte cognosco quod nec per me nec per alium integre forsan possent omnia sciri, de quibus in toto libro tractatur, propter infinitam agendorum varietatem, que semper sub perpetuo motu celesti virtute consistit. Sed ab omnibus omnia preterita sciri possunt cum auxilio eius qui sine defectu preterita presencia et futura cognoscit. Non enim opus, quod de fide non tractat (de vita nostra tractat *A*), reprobari vel sperni debet paucis maculis, in quo plura nitent, sed (sicut *B C*) nec eradicatur

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

rosarium quibusdam spinis, si multas redolentes exhibeat rosas, nec abscinditur arbor paucis vermiculosis pomis, in qua multa inveniantur iocunda.

Excellentissimo principi, domino Karolo secundo, dei gratia Hierusalem et Sicilie regi illustri, suus (servus *C*) Petrus de Crescenciis civis Bononiensis id quod est. Cum considerarem etatem et multiplices cogitaciones excellentissime maiestatis vestre, deliberavi librum componere afferentem consolacionem et delectacionem animo vestro et perpetuam utilitatem subiectis vestris, quem vestre dominacioni transmitto humiliter supplicans et devote quod ipsum legere et examinare dignemini per vos et prudentes vestros et clericos et laicos, sicut visus lectus examinatus et approbatus est per sapientissimum virum fratrem Aymericum, magistrum ordinis fratrum predicatorum, et per prudentissimos fratres eius ac eciam per peritos in sciencia naturali universitatis scolarium civitatis Bononie. Et si liber dominacioni vestre placuerit, me vestrum humilem et fidelem servulum, ubicumque sum, habere dignemini paratum semper vestris et filiorum vestrorum in omnibus obedire bene placitis et mandatis.

Incipit liber primus (primus *om. A, add. B*) ruralium commodorum a Petro de Crescenciis cive Bononie conpilatus ad honorem dei omnipotentis et serenissimi regis Karoli et ad utilitatem omnium gencium (Prologus primi libri *C*).

Cum ex virtute prudencie, que inter bonum et malum caute discernit, humanus informetur animus ad utilis et delectabilis (utilem et delectabilem *B, om. A*) cognicionem eorumque sequelam, et in terrenis rebus pacificus et tranquillus status valde utilis dulcis et delectabilis reperiatur, merito hic totis viribus querendus est et inventus tamquam thesaurus inestimabilis cum multa humiliacione (humilitate *BC*) et paciencia conservandus. Per eum namque (namque *om. A*) facile benigna dei dilectio provocatur, vita hominis tuta illesa servatur et rerum habundans copia utiliter procuratur. Hunc tamen impii viri non querunt, sed inventum superbia vel alio detestabili vicio cecati (vicio cecati *om. A*) lacerant. Quare licet eorum fortuna prospera sepe videatur ad tempus, perit tandem nec dimidiat dies suos. Viri autem pacifici et humiles, licet quandoque lesi fuerint, tamen vivunt et apud deum et homines graciam invenientes tandem impiorum hereditabunt terram. Ego itaque Petrus de Crescenciis civis Bononiensis, qui tempus adulescencie in loyca, medicina et sciencia naturali totum consumpsi et demum nobili legum sciencie insudavi, pacifici status anxius post flendum scisma illius egregie urbis, que vero et sibi proprio (vero sibi et proprio *A*) nomine Bononia, id est bona (bonum *A*) per omnia, in omnibus mundi climatibus dicebatur, cognovi quod commutata unitate ac statu pacifico in dissensionem, odium et livorem non erat iustum ipsius perverse divisionis immisceri negociis, ideoque annis triginta diversas provincias cum earum rectoribus circuivi, subiectis libenter iusticiam tribuens, rectoribus fidele consilium, et civitates in suo iure ac statu pacifico pro posse conservans, multosque libros antiquorum et novorum prudentum perlegi et diversas ac varias operaciones colentium rura vidi. Demum civitate divina gracia quodammodo (gracia quodammodo *om. A*) reformata tedio late circuicionis et lese libertatis affectus ad propria redii ac cernens quod omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nichil est agricultura melius, nichil uberius, nichil dulcius, nichil homine libero dignius, ut ait Tulius, et cognoscens quod in cultu ruris status facile invenitur tranquillus, excitatur ociositas et proximorum lesio evitatur, amplius quod cultus ruris exquisita doctrina, per quam facilius et habundancius utilitas percipitur et delectacio procuratur, quoniam si negligenter et sine certa industria singula consueto modo (more *BC*) colantur, viris bonis, qui de suarum possessionum reditibus sine cuiuscumque lesione iuste vivere

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

volunt, merito appetenda est, ad cultum ruris mentem animumque converti et impetrato (*implorato BC*) dei omnipotentis auxilio actus et commoda eius et cuiuslibet generis agrorum plantarum atque animalium doctrinam obscure ac imperfecte ab antiquis traditam et modernis satis incognitam de sola Christi liberalitate confisus dilucide tam secundum prudentum naturalis philosophie sentencias et raciones apertas quam ex approbatis experienciis (experigenciis *A*) tradere in scriptis proposui. Liber iste ruralium commodorum dicitur, quia de commodis ruris tractat, qui XII continet libros. Primus quidem est de locis habitabilibus eligendis et de curiis et domibus et de hiis que habitacioni (habitacionum *A*) sunt necessaria faciendis, secundus de natura plantarum et rerum communium cultui (cultuque *A* cultuum *B*) cuiuslibet generis agrorum, tercius de campestribus agris colendis, quartus de vineis et vino, quintus de arboribus, sextus de ortis, septimus de pratis et nemoribus, octavus de viridariis et de rebus delectabilibus et arboribus et herbis et fructu ipsarum artificiose agendis, nonus de omnibus animalibus que nutriuntur in villis, decimus de diversis ingeniis capiendi animalia fera, undecimus de regulis operacionum ruris. In duodecimo conpendiosa fit mme-co moracio de hiis omnibus que singulis mensibus in rure sunt agenda.

Magnam olim libri famam fuisse apparet ex numero codicum et editionum satis magno. Manu scriptos codices complures indicavit Fantuzzius l. c., quattuor inveniri in bibliotheca universitatis Lipsiensis me certiorem fecit Foerstemannus, humanissimus bibliothecae praefectus, qui duos, quos supra commemoravi, liberaliter ad me misit, reliquos duos sub finem quinti decimi saeculi scriptos esse mihi indicavit. Editus autem videtur liber Crescentii primum Augustae Vindelicorum a. 1471 hac addita subscriptione, '*Petri de crescenciis bononiensis ruralium commodorum libri duodecim finiunt feliciter per iohannem Schüssler ciuem augustensem impressi circiter XIIII. Kalendas marcias. Anno vero a partu virginis salutifero Millesimo quadringentesimo et septuagesimo primo;*' deinde non addito anno editionis Lovanii, quamquam fuerunt qui hanc editionem ante illam quam supra posui factam esse vellent. Proximis etiam annis post plures factae sunt editiones, sexto decimo vero saeculo plurimae. Maiorem etiam famam apud Italos nacta est italica librorum Crescentii versio, quae circa annum millesimum trecentesimum quinquagesimum facta esse creditur.

Ex veteribus de re rustica scriptoribus, a quorum doctrina Crescentius omnem rerum rusticarum scientiam repetivit, auctores adhibuit in primis Varronem et Palladium, rarius Catonem. Et Palladium quidem per omnes operis partes saepissime appellavit et plurima eius praecepta diversis locis disposita recepit. Ab eodem petita sunt quae Columellae et Gargilio Martiali tribuit. Nam ne Columellae quidem libros ipse legit. Varronem autem ipsum quoque plurimis locis adhibuit. Nam et in priore operis parte de cultura agrorum et arborum disputans multa ex primo Varronis libro adposito auctoris nomine recepit et in nono libro, qui est de animalibus quae in agris aluntur similiter ex secundo et tertio libro Varronis. In hoc vero etiam non nominato auctore quasdam partes ita ab illo recepit, ut modo eadem verba repeteret, modo illius narrationem in breviorem formam redigeret vel pauca ipse adderet. Ex Catonis libro quaedam, quae ex variis libri partibus petita sunt, adscripto nomine auctoris in priore parte operis exhibuit. Ex Vergilii quoque georgicis nonnullos versus adscripsit. Plinium in describenda natura herbarum et arborum et in referendis morborum remediis saepe appellavit. Praeterea habebat geoponica graeca a Burgundio Pisano in latinum sermonem translata, de qua translatione Mehus vit. Ambros.

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

Travers. p. CCXVIII dixit. Item ea quae de aliis scriptoribus graecis, Aristotele, Dioscoride, Hippocrate, Galeno, rettulit partim ex ipsorum libris in latinum sermonem translatis petivit, partim nomina et praecepta eorum ex latinis scriptoribus, quibus usus est, cognoverat. Denique inferioris aetatis scriptores adhibuit, in primis Avicennam et Albertum, quos saepe nominavit eorumque praecepta iis quae ex veteribus scriptoribus descripserat interposuit. Hos igitur auctores ita per totum librum secutus est, ut plerumque ea quae apud illos scripta invenerat colligeret et novo ordine distributa componeret, quaedam vero etiam, quae ipse in variis Italiae regionibus peregrinatus viderat, illorum praeceptis adderet.

Ad veteres scriptores emendandos excerpta Crescentii primum, quod sciam, adhibita sunt ab Ioanne Baptista Morgagni in epistula ad Iulium Pontederam data a. 1723, quam Gesnerus editioni scriptorum rei rusticae adiecit p. 1026 sqq., deinde a Pontedera in enarrationibus antiquitatum latinarum graecarumque Patavii a. 1740 editis et a Gesnero. Plurimum vero omnium qui in his scriptoribus operam collocaverunt Crescentii excerptis tribuit Schneiderus, qui non solum in commentariis in Catonem et Varronem et in adnotationibus in Palladium eius lectiones adnotavit, sed etiam ex quattuor Crescentii editionibus omnem lectionis discrepantiam, quae ad Catonem et Varronem pertineret, separatim posuit script. rei rust. v. III p. 265 sqq. Sed cum in editis Crescentii exemplaribus multa ab editoribus mutata essent, quibus mutationibus etiam ea quae ex antiquorum scriptorum libris descripta erant corrupta sunt, Schneiderum quidem illud non fugerat; verum tamen fidem lectionis parum perspexit et pro genuina ipsius Crescentii scriptura saepe falsam et ab editoribus substitutam amplexus est, neque quattuor editionum discrepantia postea ab illo exhibita illud damnum reparare potuit. Rectius nuper Franciscus Zahlfeldt quaest. crit. in Varr. rer. rust. libr. (Berolini 1881), cum Crescentii lectiones ad Varronis locos emendandos adhiberet, unam antiquissimam illius editionem omissis recentioribus editionibus contulit. Quamquam ne hoc quidem sufficere ad rem perficiendam apparet. Nam ut ad recensenda et emendanda veterum scriptorum verba recte adhiberi possent Crescentii lectiones, primum hae ipsae collatis inter se manu scriptis codicibus rectius, quam nunc in editis exemplaribus feruntur, constituendae erant. Vereor tamen, siquis hunc laborem in se susceperit, ne non multum utilitatis ex eo redundaturum sit. Habebat enim Crescentius codicem Catonis et Varronis cum iis libris quibus nunc utimur plane consentientem et ab eadem stirpe ductum. In describendis autem iis quae ex eo recepit non ea fide usus est, ut verba scriptorum accurate repeteret, sed vario modo plurima mutavit. Et siqua sunt quae rectius apud eum quam in Varronis vel Catonis libris leguntur, ea omnia ita comparata sunt, ut facili coniectura ab illo inveniri potuerint. Gravioribus vero vitiis scripturae nusquam remedium praebet, sed aut omisit verba, quae ipse quoque pariter corrupta legebat, atque nunc habentur, aut ita immutavit, ut suo arbitrio eum usum, non meliorem codicis quem habebat scripturam secutum esse appareat. Ex quo intellegitur non solum cautione opus esse in adhibendis Crescentii lectionibus, sicut monuit Zahlfeldtius l. c., verum etiam vix quidquam, quod quidem gravioris momenti sit, ab iis peti posse.

Sed ut intellegatur, quibus rationibus Crescentius in iis quae ex veterum auctorum libris descripsit et excerpsit usus sit, exempli causa ponam haec quae ex Varronis libro primo de villa c. 11 sqq. in primum sui operis librum et ex secundo libro Varronis c. 2 de ovibus in nonum librum transtulit, quibus in priore loco pauca ex Catonis libro petita iecit, sed in altero quaedam ex Palladii libro octavo descripta addidit. Dedi autem verba ex

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

duobus codicibus Lipsiensibus et ex principe editione, quantum quidem fieri poterat, emendata. Nam vera et incorrupta scriptoris manus ne ex his quidem libris satis certo restitui poterat. Lectiones trium librorum in subiecta adnotatione ita exhibui, ut ex codice *A* et ex principe editione omnis scripturae discrepantia adnotaretur, ex altero codice, qui mendose scriptus est, multa, in quibus manifesta scribentis neglegentia deprehenditur, omitterentur. Adscripsi autem hanc lectionis varietatem, ut hoc exemplo probaretur incertae fidei esse, quaecumque ab editoribus veterum de re rustica scriptorum vel ex principe editione Crescentii vel ex exemplis postea impressis, in quibus plura etiam quam in illa mutata erant, repetita et ad emendationem verborum adhibita sunt.

Varr. I 11, 2 Cresc. l. I. c. 5. De situ ville, id est domus, tam racione habitatorum quam fructuum scribit egregie Varro, villam edificandam potissimum ut intra septa ville habeat aquam; si non, quam proxime, quae ibi sit nata vel perhennis influat. Si omnino aqua non est viva, cisterne faciende sub tectis et lacus sub divo, ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti possit. Dandam operam ut potissimum sub radicibus montis silvestris villam ponat, ubi pastiones sunt laxe, ac ubi venti saluberrimi flabunt. Que posita est ad exortos equinoctiales, aptissima, quod estate habet umbram, yeme solem. Si cogaris prope flumen edificare, curandum ne adversus eum ponas. Yeme enim fiet vehementer frigida et estate non salubris. Advertendum etiam, si qua erunt loca palustria, et propter easdem causas, et quia cum arescunt crescunt animalia quedam minuta, que non possunt oculi consequi, et per aera intus in corpus per os et nares perveniunt ac efficiunt difficiles morbos. Item Scrofa vitandum inquit ne in eam partem spectet villa, ex qua ventus gravior afflare solet, ne in convalli cava, sed pocius in sublimi loco edifices, eo quod, cum perflatur, si quid est ibi, quod adversarium inferatur, facilius discutitur. Preterea locus qui a sole tota die illustratur salubrior est, quia et bestiole, si que prope nascuntur et inferuntur, aut efflantur aut aritudine cito pereunt. Nimbi repentini ac torrentes fluvii periculosi illis, qui in humilibus ac cavis locis edificia habent, ob hoc et propter predonum manus superiora loca tutiora. In villa facienda stabula bubilia que yeme possint esse calidiora, item cellas in loco plano, ubi vasa vinaria et olearia esse possint, item ubi stent fructus aridi, ut grana et fenum in tabulatis. Item ubi versetur familia

---

2 egregie *C* egregius *A* ut *ante* intra *om. C, add. AB* 3 nata *AB* nota *C* si omnino aqua non est viva *B* si omnino non est aqua viva *A* si vero aqua non est viva *C* 4 faciende sunt sub *A* 5 uti possit *AB* uti possint *C* ut potissimum *BC* potissimum ut *A* radicibus *A* radice *BC* ubi pastiones sunt (sunt *om., sed alia manu add.* sint *B)* laxe *BC* ubi pascue oms sunt large al. laxe *A* 6 ac ubi venti *A* aut ubi venti *C* aūt ut venti *B* saluberrimi *BC* saluberrime *A* 7 habet *BC* habeat *A* 8 curandum est ne *C* adversus eum *BC* adversus ipsum *A* 9 et *ante* estate *om. A, add. BC* advertendum etiam si qua *A* advertendum autem si aqua (*corr.* qua) *B* animadvertendum est si aqua *C* 10 et quia cum arescant crescunt *C* quia arescunt et crescunt *B* quia cum ibi crescunt *A* minuta *BC* unica *A* 11 non possunt oculi consequi *C* non possunt consequi *B* non possunt oculis percipi *A* aera *BC* aerem *A* perveniunt *C* perveniant *A* proveniunt *B* 12 vitandum est *C* 13 spectet *BC* spectat *A* solet *om. A, add. BC* convalle *C* 14 si (sic *B*) quod est ibi adversarium *BC* 15 preterea] propterea *C* quia et bestiole *C* et quia bestiole *A* quod si et bestiole *B* 16 efflantur] afflantur *C* aritudine cito *BC* cito aritudine *A* 17 torrentis fluvii periculo si illis *C* 18 facienda stabula bubula *BC* facienda sunt stabula bubulia *A* 18 yeme possint *B* yeme possunt *A* in hyeme possint *C* 19 esse possint *BC* esse possunt *A* 20 granum *C*

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

providendum, ut fessi opere aut frigore aut calore commode possint se quiete recipere. Villici prope ianuam cellam esse oportet eumque scire, quis introeat aut exeat noctu quidve ferat, presertim si hostiarius est nemo. Catho scribit villam urbanam pro copia edificato. (Cat. 4) In bono predio si bene edificaveris, libencius et sepius venies, fundus melior erit et fructus plus capies. Si te vicinitas libenter videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces.

Cresc. l. IX, c. 59 (67) (Varr. II 2, 2) Oves bone cognoscuntur ab etate, si neque vetule sunt neque mere agne. Nam altere nondum, altere iam non possunt dare fructum. Sed ea melior etas est, quam sequitur spes, quam ea quam mors. Item cognoscuntur a forma. Nam ovem oportet esse corpore amplo, que lana multa sit et molli, villis altis et densis toto corpore, maxime circa cervicem et collum. Ventrem quoque ut habeat pilosum. Esse oportet cruribus humilibus, caudis prolixis in Italia, sed in Syria brevibus. Item cognoscuntur ex progenie, si agnos solent procreare formosos.

ib. 60 (68). (Varr. II 2, 7) De pastione primum providendum est ut per totum annum recte pascantur intus et foris. In stabulo idoneo sint non ventoso, quod magis ad orientem quam ad meridiem spectet. Ubi stent solum oportet esse virgultis aut paleis aut aliis straminibus stratum atque proclivum, ut mundari ac purum fieri ab humiditate urine facile possit. Non enim solum ea uligo lanas corrumpit ovium, sed eciam ungulas, ac scabras fieri cogit. Cum aliquot dies steterint, subicere oportet alia virgulta vel paleas, quo melius requiescant purioresque sint. Libencius enim ita pascuntur. Faciendum quoque infirmis et hiis que agnos parvos habent septa secreta ab aliis, quo eas secludere possis. Haec autem magis in villaticis gregibus sunt servanda. Nam in hiis que pascuntur in saltibus custodes secum portant grates aut recia, quibus cohortes in solitudine faciant, ceteraque utensilia. Longe enim et late ac varie in diversis locis pasci solent. — (Varr. II 2, 12) Cum messes sunt facte, teneantur in stipulis, quod est utile duabus ex causis. Nam et caduca spica saturantur, et obtritis stramentis et stercoracione faciunt in annum sequentem segetes meliores.

ib. c. 61 (69). (Varr. II 2, 14) Quamdiu admissura fit, eadem aqua uti oportet, quia commutacio aque et lanam facit variam et corrumpit uterum, ut ait Varro. Cum omnes conceperint, arietes secernendi sunt, quod, cum sunt molesti, obsunt. Nec oportet pati minores quam

---

1 commode possent se quiete recipere *A* possint commodissime se in quietem recipere *C* possint commodissime se recipere *B* 2 quis introeat *A* quid introeat *BC* 3 edificato *BC* edificari *A* 4 si bene *BC* si enim bene *A* et fructu plus capies *C* et fructum plus capies *B* et plus capies fructus *A* 5 vicinitas *C* civitas *corr. al. m.* vicinitas *B* vicinus aut vicinitas *A* facilius tua vendes *B* faciliter tua vendes *A*, *om.* *C* operas *AB* opera *C* 8 nam altere nondum altere iam non possunt *A* nam altere nondum altere sunt possunt, *sed* sunt *deletum* *B* nam alere nondum iam non possunt *C* ea *priore loco om. A, add. BC* 9 cognoscitur *C* ex forma *B* 10 oportet esse *AB* esse oportet *C* vilis] pilis *B* 11 ventrem quoque] ventremque *B* habeat *BC* habeant *A* 13 procurare *C* formosos *B* formosas *AC* 14 de pastione vel pastinacione primum providendum est *A* de pastione post providendum est *B* de pastione primum videndum est *C* recte *C* itē *ut videtur* *AB* 16 aut paleis aut aliis straminibus stratum *BC* aut paliis vel aliis stratum *A* 17 proclivum *A* declivum *BC* 18 ea uligo *AC* ego eo uligo *B* ungulas] virgulas *C* scabras] scabiles *B* 19 virgulta] virgula *C* requiescunt *C* 20 et hiis que *B* in hiis que *A* et his qui *C* 21 secreta septa *C* secludere possis *B* secludere possunt *A* recludere possis *C* 22 vallaticis *A* villiaticis *B* violaticis *C* 23 portant *C* portent *A*, *om.* *B* grates *A* crates *C* trabes *B* cohertes *C* 24 ac varie *A* et varie *BC* cum messes *BC* cum autem messes *A* 26 stercorationem *C*. 28 facit *om. C, add. AB* ut *om. A, add. BC* omnes] ores *C* 29 secernende *C* quod cum sunt *A* quia cum sunt *C* *om.* *B*

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

binas saliri, quia neque natum ex hiis idoneum est, nec non ipse fiunt deteriores. Ovis pregnans est centum quinquaginta diebus. Itaque fieri debet admissura tali tempore, quo partus nascatur circa finem autumni, cum aer est modice temperatus et primitus oritur herba Pall. VII 14 ymbribus prioribus evocata. Eligendi sunt arietes candidissimi in regionibus illis, in quibus sunt oves albe. Item mollibus lanis, in quibus non solum corporis splendor considerandus est, sed eciam lingua, que si maculis fuscatur, varietatem reddit in sobole, et si nigra est, nigros creat. De albo quandoque nascitur coloris alterius, de fuscis numquam potest albus creari, ut ait Columella. Eligemus autem arietem altum procerum ventre promisso et lanis Varr. II 2, 4 candidis tecto, cauda longissima et lata, tortis cornibus pronis ad rostrum, lana opertis auribus, amplo pectore scapulis et clunibus latis, velleris depressi, fronte lata, magnis testibus, etatis prime, qui tamen usque ad octo annos utiliter potest inire. Femina debet bima submitti, que usque ad quinquennium feture necessaria est, anno septimo deficit. Item ex progenie animadvertitur aries, si agnos procreat formosos. Centum ovibus aries unus sufficere fertur, et quotcumque sunt centenaria, tot arietes sufficere ait Varro.

Varr. II 2, 15 ib. 74 (66). Varro autem ait, cum parere incipiunt oves, pastores eas iniciunt in ea stabula, quae ad eam rem habent seclusa, ibique agnos recenter natos ad ignem proponunt et per biduum aut triduum retinent, dum cognoscant matrem et pabulo se saturent. Deinde cum matres ad pastum cum grege prodeunt, retinent agnos, qui, cum reducte ad vesperum fuerint, aluntur lacte et rursus descernuntur ne noctu a matribus conculcentur. Hoc idem faciunt mane, antequam matres ad pabulum exeant, ut agni fiant satulli lacte. Circiter decem dies cum preterierint, palos affigunt et ad eos alligant libro, id est cortice, aut qua alia re levi distantes, ne tota die cursantes inter se teneri delibent, id est destruant, aliquid membrorum. Si ad matris mammam non accedet, admovere oportet et labra agni ungere butiro aut adipe suilla et olfacere labra lacte. Diebus post paucis abicere hiis viciam molitam aut herbam teneram, antequam exeant pastum et cum revertuntur, et sic nutriantur, quoad facti sunt quadrimestres. Interea matres eorum hiis temporibus non mulgant. Cum

1 saliri qua neque natum *A* saliriq; neque natum *C* saliri qm natum *B* 2 fieri debet admissura *A* fieri admissura debet *B* admissura fieri debet *C* quo *A* quod *BC* 3 aer est *BC* aerem *A* 5 non solum *om. A, add. BC* 6 sed eciam *BC* sed in *A* si maculis fuscabitur *B* si in masculis fuscabitur *A* si maculis fustatur *C* et nigra est *C* 7 qnq; nascitur *A* qm nascitur *B* quoque nascetur *C* fustis *C* albus *AB* alius *C* 8 ut] aut *A* altum procerum *BC* album procerum altum *A* 9 longissima et lata (et lata *om. B*) tortis (curtis *C*) cornibus pronis ad rostrum lana opertis (apertis *C*) auribus amplo (amplum *B*) pectore scapulis et clunibus latis velleris depressi fronte lata magnis testibus (testiculis *B*) *BC* longissima et lata velleris depressi fronte lata cortis cornibus pronis ad restrum al. rostrum lana opertis auribus amplis scapulis et clunibus latis magnis testibus *A* 11 quae tamen *C* 12 feture] future *A* fetura *C* vendere *B* est *om. A add. BC* 13 animadvertitur *A* animadvertatur *BC* aries unus *A* unus aries *BC* 15 Varro autem ait *BC* Varro autem dicit *A* eas iniciunt *B* eos iniiciunt *C* eas mittunt *A* 16 proponunt *AC* ponunt *B* 17 aut triduum *BC* ac triduum *A* cognoscant *A* agnoscant *B* cognoscunt *C* saturent *AB* saturant *C* 18 cum grege prodeunt *A* cum grege prod'ent *C* prodierint cum grege *B* reducte *A* deducti *B* creati *C* 19 alentur *B* rursus descernuntur (*vel* destruuntur) ne noctu *A* rursum discernuntur ne nocte *B* rursus decernuntur noctu *C* hoc *BC* et hoc *A* 20 antequam in pabulum *B* satulli *C* sattulli *A* statim *B* 21 libro cortice aut aliqua alia re leui *A* libro i. torace aut aliqua re alia leui *B* libro et cortice aut qua alia re leni *C* 22 tota *AB* toto *C* delibent *BC* deliberant *A* destruant *AB* destinant *C* 23 accedet *A* accedit *B* accedent *C* 24 abicere eis viciam molitam *B* obiicere his viciam mollitam *C* hiis abicere oportet vicia mollita *A* 25 reuerterint *B* nutriantur quod ade facti sunt *A* nutriantur ad facti sunt *B* nutriuntur quoad facti sunt *C* 26 hiis non mulgant *A* hiis temporibus non iungant *B* his qui temporibus non mulgant *C*

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

depulsi sunt agni a matribus, diligencia est adhibenda, ne desiderio senescant. Itaque deliniendum, id est blandiendum, in nutricatu pabuli bonitate et a frigore et estu ne quid laboret curandum. Cum oblivione iam lactis non desiderat matrem, tum denique compellendum in gregem ovium.

Quem ad modum haec quae adscripsi olim a viris doctis ad verba Varronis, quae Crescentius exscripserat, recensenda et emendanda adhibita sint, per singulos locos non persequar. Nam ex Schneideri commentariis cum iis quae supra scripsi collatis iam facile apparere puto ea quae vel ipse Schneiderus Crescentii lectionibus usus disputavit vel ex Pontederae disputationibus attulit nullam ab his lectionibus habere auctoritatem. Pauca sunt et admodum levia, quae rectius apud illum quam in libris manu scriptis Varronis leguntur, coniectura, ut puto, restituta, non ex codice quo utebatur recepta. Quo illud quoque refero, quod in his Varronis verbis II 2, 2 *has primum oportet bonas emere, quae ita ab aetate, si neque vetulae sunt neque merae agnae, quod alterae iam nondum, alterae iam non possunt dare fructum* priore loco *iam* omisit. Addam pauca eiusdem generis exempla, in quibus cum Varronis verbis composui ea quae apud Crescentium leguntur, in quibus scriptura codicum quibus nunc utimur vario modo ab illo mutata est. Ipsa Crescentii verba, quae parum accurate in Schneideri commentariis expressa erant, ex libris quos supra dixi emendavi.

Varr. I 41, 3. *Itaque vitem triduo antequam inserant desecant, ut qui in ea nimius est umor defluat, antequam inseratur; aut in quam inserunt, in ea paulo infra, quam insitum est, incidunt, [in] qua umor adventicius effluere possit.* Cresc. IV, 11. *Varro autem scribit vitem inserendam secari debere triduo antequam inseratur, ut qui in ea nimius est humor defluat, antequam inseratur, aut paulo infra insitam incidatur, ut inde humor adventicius effluere possit.* In uno interpolato codice Mediceo Laur. 30,10, quocum saepius consentientem inveni Crescentium, legitur *ut qui ea — defluat*, in reliquis *ut quod ea — diffluat.*

Varr. I 55, 5. *Haec, de qua fit oleum, congeri solet acervatim dies singulos in tabulata, ut ibi mediocriter fracescat ac primus quisque acervos demittatur per serias ad vasa olearia ac trapetas, quae res molae oleariae ex duro et aspero lapide.* Cresc. V, 21. *Varro scribit, quod olea, de qua fit oleum, debet congeri acervatim per dies singulos in tabulato, ut ibi mediocriter fracescat, ac primus quisque acervus dimittitur in sex vicibus (in sex partibus seu vicibus C) ad vasa olearia ac trapetas et submittitur mole olearie, que est ex duro et aspero lapide.* Ex Aldina editione receptum est quod vulgo legitur *per dies singulos,* pro quo *in dies singulos* scribendum conieci. Deinde quod Crescentius dedit, *sex vicibus*, profectum est ex corrupta codicum scriptura *per sena,* quam correxit Merula.

Varr. II 4, 17. *Parere nunc oportere porcos, quot mammas habeat.* Cresc. IX, 69 (77). *Varro ait quod tot porcos parere potest, quot mammas habet.* Scripturam codicum, quam exhibui, sic, ut apud Crescentium legimus, correctam praebet codex Mediceus et ex eo Aldina editio.

ib. 4, 20. *Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad bucinam. Primo cum incluserunt, cum bucinatum est, aperiunt, ut exire possint in eum locum, ubi hor-*

---

2 ne quid laboret *A* nequit laborore *B* ne quid laboretur *C*   3 desiderant *C*   tunc denique *A* cum denique *B* tu denique *C*   conpellendum *C* compellendus *A* conpellandum *B*.

Digitized by Google   Original from
UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN   UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

deum fusum in longitudine. Sic enim minus disperit, quam si in acervo positum, et plures facilius accedunt. Ideo ad duodecim convenire dicuntur, ut silvestri loco dispersi ne dispereant. Cresc. ib. *subulcus assuefacere debet ut omnia faciant ad bucinam. Primo cum incluserunt, cum bucinatum est, aperiunt, ut exire possint in eum locum, ubi ordeum fusum sit in longitudine. Sic enim minus disperit, quam in acervos positum, et plures facilius accedunt. Ideo (idcirco* B *ideoque* C*) ad bucinam convenire dicuntur, ne silvestri loco dispersi pereant.* Apud Varronem manu scripti libri habent *quamvis in acervos positum,* ubi *quam si* coniecit Politianus, *quam si id in acervos positum est* edidit Aldus. Deinde *ad bucinam convenire*, sicut Crescentius scripsit, coniecit Ursinus.

Varr. II 7, 1 *Horum equorum et equarum greges qui habere voluerunt, ut habent aliqui in Peloponneso et in Apulia, primum spectare oportet aetatem quam praecipiunt. Videmus ne sint minores trimae, maiores decem annorum. Aetas cognoscitur et equorum et fere omnium qui ungulas indivisas habent et etiam cornutarum, quod equus triginta mensibus primum dentes medios dicitur amittere. — Hoc maiores qui sunt, intellegi negant posse, praeterquam cum dentes sint facti brocchi et supercilia cana et sub eis lacunae, ex observatu dicunt eum equom habere annos sedecim.* Cresc. IX, 1. *Greges equorum et equarum qui habere voluerit, primum, ut ait Varro, spectare oportet etatem. Videat ne sint minores trium, maiores decem annorum. Etas cognoscitur equorum et fere omnium animalium (animalium* om. BC*) que ungulas indivisas habent et etiam cornuta sunt, ut idem ait et similiter Palladius, quod equus in triginta mensibus primum dentes medios dicitur amittere. — Cum autem maiores sunt, cuius etatis sint, intelligi negant posse, praeterquam cum dentes sunt facti (sint facti* C, *facti sunt* B*) brochi, id est plicati, et supercilia cana et sub eis lacus id est concavitas. Quod cum apparuerit, dicitur habere annos sedecim.* Primum cum Mediceo codice consentiens Crescentius scripsit *voluerit* pro eo quod in reliquis codicibus est, *voluerunt.* Deinde pro *videmus* scripsit *videat,* ubi in Mediceo libro legitur *videndum.* Tum in codicibus scripta sunt haec, *aetas cognoscitur et equorum fere omnium*, quae transposita *et* particula Crescentius correxit; *equorum aetas et fere omnium cognoscitur* habet Mediceus codex. Denique ubi scripsi *sub eis lacunae ex observatu,* codices praebent *sub ea lacuni (lacum* Med.*) sex obseruatu.*

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, D.

I. Publice *Gnosticorum systemata* exponet d. Sat. h. XII–I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiae partem primam* usque ad Gregorii I. tempora enarrabit sexies per hebd. h. XI–XII. *2) theologiam symbolicam (polemicam)* docebit quinquies p. hebd. h. XII–I.

III. Privatissime et gratis in seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *theologiam philosophicam* docebit ter p. hebd. d. Lun. Merc. Iov. h. mat. VII–VIII.

II. Privatim *1) historiam populi Israëlitici* enarrabit bis p. hebd. d. Mart et Ven. h. mat. VII–VIII. *2) Psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX–X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas V. Test.* moderabitur. Praeterea iterum eiusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen semiticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas proponet.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Publice *primam Iohannis epistolam* interpretabitur d. Sat. h. X–XI.

II. Privatim *1) Iohannis evangelium* interpretabitur quinquies per hebd. h. X–XI. *2) dogmatices partem priorem* quae christianam apologeticen et religionis philosophiam continet quinquies p. hebd. h. VIII–IX tradet.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D., Decanus.

I. Publice *epistolam Pauli ad Corinthios alteram* interpretabitur d. Merc. h X–XI.

II. Privatim *1) priorem Pauli ad Corinthios epistolam* interpretabitur quaternis p. hebd. scholis h. X–XI. *2) vitam Dom. n. Iesu Christi* exponet quater p. hebd. h. XII–I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas N. Test.* et *homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, D.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit d. Merc. h. III–IV.

II. Privatim *1) archaeologiam Hebraicam* tradet quater p. hebd. h. III–IV. *2) librum Iobi* explicabit quinquies p. hebd. h. IV–V.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget d. Iov. h. VI vesp.

HERMANNUS HERING, D.

I. Publice *hymnorum christianorum historiam* enarrabit d. Sat. h. VII–VIII.

II. Privatim *1) theologiae practicae partem priorem* tradet quinquies p. hebd. h. VII–VIII. *2) paedagogicen* docebit d. Merc. et Iov. h. IV–V.

III. In seminario regio theologico *exercitationes catecheticas* et *proseminarium homileticum* moderabitur.

Digitized by UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN
Original from UNIVERSITY OF ILLINOIS AT URBANA-CHAMPAIGN

MARTINUS KAEHLER, D.

I. Publice *de auctoritate scripturae sacrae* disseret d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim *1) theologiam ethicam* docebit sexies p. hebd. h. VIII–IX. 2) epistolam *ad Ebraeos* scriptam interpretabitur quaternis quinisve p. hebd. scholis h. IX–X.

III. Privatissime et gratis exercitationes *societatis exegeticae Novi Testamenti* moderabitur d. Ven. h. VI.

b. Professorum extraordinariorum.

CAROLUS MUELLER, D.

I. Publice de *motibus ecclesiam seculo XV pervagantibus* disseret d. Sat. h. XII–I.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem secundam* tradet quinquies vel sexies p. hebd. h. XI–XII.

HERMANNUS FRANKE, Lic.

I. Publice *historiam canonis N. Testamenti* exponet d. Sat. h. VII–VIII.

II. Privatim *introductionem historicam criticam in libros Novi Testamenti* tradet quinquies p. hebd. h. VII–VIII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes exegeticas Novi Testamenti* moderabitur h. def.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X–XI.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX–X. *2) processum civilem imperii Germanici* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–IX. *3) doctrinam de concursu creditorum* secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. Sat. h. VIII–IX.

ERNESTUS MEIER, Dr., Decanus.

I. Publice *de constitutione imperii Germanici* disseret d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim tractabit *1) ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX–X. *2) ius gentium* d. Merc. et Sat. h. X–XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

I. Publice *ius cambiale* docebit d. Merc. h. XI–XII.

II. Privatim *1) ius commerciorum Germanicum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII. *2) imperii et iuris Germanici historiam* enarrabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII–I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Privatissime et gratis in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis Borussici* moderabitur d. Iov. h. IV–VI.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI. *2) encyclopaediam iuris* tradet d. Lun. et Merc. h. VIII–IX.

AEMILIUS BRUNNENMEISTER, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Sat. h. XI–I.

II. Privatim *processum criminalem* tractabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII–I.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *ius familiarum Borussicum* exponet d. Merc. h. VIII–IX.

